



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola VI. Alexandri Papae III. Ad Thomam Cantvariensem Et Reliqvos
Angliae Episcopos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

in conclau vel in aure dicuntur. Væ nobis qui in hæc seruari sumus tempora, quorum diebus accefferunt hæc mala, qui in priori statu tanta potiti sumus libertate, quam modo dura & pessima seruitute recompensamus. Fugissemus saltem, ne in direptionem patrimonium Crucifixi dari videremus: sed quo, nisi ad eum qui nostrum refugium & virtus est, ignoramus. De Vvallenfibus & Oeno, qui se principem nominat, domine prouideatis, quia dominus rex super hoc maxime motus est, & indignatur. Carissime pater & domine, bene valete.

EPISTOLA VI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM CANTVARIENSEM
ET RELIQUOS ANGLIÆ EPISCOPOS.

Eos monet ne quid regi indulgeant contra libertatem ecclesiasticam.

AD hoc pontificalis officii onus suscepisse noscimini, ut commissas vobis ecclesias sic ad honorem Dei, & subditorum profectum atque salutem regatis, quod earundem ecclesiarum libertas per vos nullatenus minuat, sed in suo statu per studium vestrum & per operam conseruetur. Inde siquidem est, quod fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ iniungimus, quatenus, si illustris Anglorum rex quidquam a vobis aliquo tempore requisierit, quod contra ecclesiasticam libertatem existat, hoc ei facere nullatenus attentetis. Nec vos illi in aliquo, & maxime contra Romanam ecclesiam, obligetis; aut nouæ promissionis seu iuramenti formam inducere præsumatis, præter id quod episcopi suis regibus facere consueuerunt. Si autem iam dicto regi super huiusmodi vos in aliquo adstrictos cognoscitis, quod promissistis nullatenus obseruetis, sed hoc potius reuocare curetis; & de promissione illicita Deo studeatis & ecclesiæ reconciliari.